



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. I. Quæ potestas legitimandi Principi Laico conveniat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

substantiam legitimationis; cuius est, dare omnia iura, consequenter non tam legitimitas foret, quam dispensatio.

1448. Quæstio est. 3. an, ut Princeps alicquem rescripto legitimet ad petitionem, requiratur consensus agnatorum, & cognatorum venientium ab intestato? R. negativè. Nam isti solum habent spem successionis ab intestato, & quidem solum remotam, non autem jus, nisi conditionale, ac pendens. Quare sicut parens sine illorum consensu potest adoptare, ut dicitur L. 7. ff. de Adopt. vel si caret prole legitima, aut ascendente, totam suam substantiam naturali filio relinquere, juxta Novell. 89. c. 12. quin per hoc ullum præjudicium illis faciat; sic poterit sine illorum consensu à Principe petere, legitimi naturalem quoad ejusmodi successionem, & Princeps petenti annuere.

1449. Dices: Principes in ejusmodi legitimatione (ut succedant Patri, Matri, & alijs) solent apponere clausulam (si proximi ex cognatione consenserint) ergo sine consensu istorum legitimitas non tenet, quia sic deficeret conditio. R. cum dist. & admitto ant. si ea clausula afficeret successionem in bona omnium ibi expressorum; nego autem, si tantum successionem in bona cognatorum, & aliorum. Mens autem illius clausulæ non respicit, nisi hanc successionem, ut scilicet intelligatur de consensu eorum, quibus legitimitas intendit succedere. Si enim peteret consensum cognatorum etiam pro successione in bona Patris, vel Matris, vix sperari posset unquam à cognatis; id quod in favore, & gratiâ Principis locum habere non potest; cum in hoc non sit eorum ullum præjudicium, jure illorum id exigente cavendum, ut dictum est.

1450. Hæc occasione resolvitur etiam quæstio, an rescripto Papali legitimatus ad quevis beneficia, censetur legitimatus ad beneficia juris Patronatus Laicalis ex fundatione cum clausula: ne alij, quam legitimi, seu thoro legitimo nati illud obtineant. R. quod non. Nam nisi exprimat, Pontifex per tale rescriptum non intendit, derogare juri tertij, quod habet Fundator, ut diximus in l. 2. decret. tit. 12.



## ARTICULUS V.

Quis illegitimos legitime possit?

Cum distinctio in legitimos, & illegitimos inducta sit jure positivo humano, ejus erit legitime, de cuius potestate est jus illud solvere, vel in totum, vel in certo solum casu; unde communis tenet, illis Principibus potestatem legitime convenire, qui superiorem non recognoscunt. Ea tamen potestas non extendit sese ad alienos, sed suos tantum subditos, ut dicemus infra.

### §. I.

Que potestas legitime Principi Laico conveniat?

Quæstio est. 1. an rescriptum Principis alicui restituitur natales non in radice matrimonij, sed inducendo solum jura legitimorum, sit dispensatio, an vera legitimitas? Si est vera legitimitas, constituit illi jus absolute idem per omnia, quod habent legitimi; secus autem, si solum dispensatio, ut notavimus n. 1447. quæstio autem est, si rescripto legitimet spurium, seu natum ex nefario, & damnato concubitu? esse tantum dispensationem censet Baldus in L. 1. c. de natur. liber. & alij. 1. quia spurium non potest esse imago, seu figura matrimonij; cum inter parentes ejus matrimonium consistere non poterit; ut autem legitimatione acquirat jus legitimorum, deberet posse esse figura matrimonij. 2. quia spurij nullâ Principis clementiâ digni sunt, juxta Novell. 74. in fin. 3. quia tale rescriptum in c. Per venerabili em. h. t. vocatur dispensatio.

Verum, cum hæc omnia sint juris positivi, ut dictum est, Princeps autem tale jus possit auferre, juxta §. sed naturali. infra. de jure nat. ur. gent. & civil. his non obstantibus Princeps potest rescripto quoad omnia etiam tales natalibus restituere, inducendo in eos omnia jura, quæ illis alijs per leges talis Principis auferuntur. Unde licet ibi dicatur, spurios non esse dignos Principis clementiâ, non tamen dicitur, quod Princeps ex bonitate sua non possit illis



illis impendere gratiam. Nec in isto casu requiritur, quod legitimatus rescripto sit *imago matrimonij*, quia rescriptum non legitimat eos fingendo, aut in radice dispensando, quasi nati essent de legitimo matrimonio; sed ex sola Principis clementia, & beneficio jura legitimorum conferendo. Caterum non abnuo, hanc legitimationem posse dici *dispensationem generaliter*, quatenus importat concessionem contra jus commune; non tamen *specialiter*, prout restringitur ad restitutionem natalium solum in aliquibus, ut notavi sup. quia non potest quis esse pro parte legitimus, & pro parte non legitimus, ut notat Barbof. in *c. Per venerabilem*. 13. h. t. n. 18. Et sic accipi dicitur in cit. *c. Per venerabilem*. Et ita tenet Fachinaeus cit. l. 3. c. 57. Covar. de sponsal. p. 2. c. 8. §. 8. & alij.

1454. Quæstio est. 2. an consentientibus parentibus & illis, quorum interest, Princeps legitimare possit *alienum subditum* ad eorum bona, extra suum legitimantis territorium sua? R. probabilis esse, quod non colligitur ex *c. Per venerabilem*. h. t. ubi Pontifex legitimans filios Regis Francie, rationem reddit, quia Rex Francie nemini est subiectus, seu neminem in temporalibus superiorem recognoscit, & sine juris alterius lesione in eo se jurisdictioni Pontificie subicere potuit, & subjecit. Hinc merito Barbof. cit. cum alijs n. 10. resolvit, quod legitimatus à Principe non potest obtinere terras non subiectas legitimanti. Nam extra territorium nulla est jurisdictione per L. ult. ff. de Jurisdic. omnium Jud. Sic etiam Abbas in *c. Per venerabilem*. n. 23. & alij.

1455. Nec obstat, quod legitimatio sit actus voluntarie jurisdictionis; ex hoc enim non sequitur, eam fieri posse coram, aut à quocunque Judice per ordinem ad res sibi non subiectas; neque consensus parentum, aut cognatorum, quorum interest, facit, quod non agatur contra jus domini, in cuius territorio bona sunt, ad quæ sine ipsius consensu, per alium legitimeretur; per illorum enim consensum, & subjectionem, huic sua jurisdictione non prorogatur; cum ad hoc requiratur, vel quod sit, qui superiorem non recognoscat, & sponte se in eo subiciat, ut constat ex n. priori, ibi: neminem ex temporalibus &c. vel verò is,

cujus jurisdictione prorogatur, fit sub eodem Principe, & agatur de bonis, quæ sunt in territorio Judicis prorogati. Neminem enim privatorum consensus Judicem facit. L. Privatorum. ff. de Jurisdic. omnium Judic.

Quando autem in *c. Per venerabilem* 1456. dicitur, quod Pontifex habeat casualiter Jurisdictionem in omnibus, ibidem additur ejus protestatio dicentis, se illa nolle uti cum alterius injuria, unde filios Regis Francie legitimavit, quia ille sine lesione juris alieni potuit se in temporalibus subicere Pontifici, ac in eo etiam se subjecit. Ex hoc sequitur legitimatum in uno loco, non eo ipso habendum ut legitimum in alio, & territorio, quoad successiones, & honores, extra territorium legitimantis, sequitur ex dictis à n. 1454.

Quæstio est. 3. an Princeps Laicus possit legitimare filium Clerici? R. posse, ut ei succedat in omnibus bonis purè temporalibus, seu patrimonialibus; quia nullum in hoc est impedimentum. Persona enim, quæ legitimatur, est Laica; bona etiam ponuntur merè temporalia, non Ecclesiastica; consensus à Patre dari potest, quin per hoc Principi proroget jurisdictionem in personam Ecclesiasticam, vel bona Ecclesiastica; & quamvis bona Clericorum etiam patrimonialia sint exempta, ne sint obnoxia collectis, seu tributis Laicorum, similibusque oneribus; ab hoc tamen, ut illorum dominus, quantumvis Ecclesiasticus, cogatur invitus habere successorem, seu heredem, exempta non sunt; Sic Fachinaeus cit. c. 59.

## §. II.

## Quæ potestas Legitimandi Principi Ecclesiastico conveniat?

Dupliciter fieri potest legitimatio, nempe restituendo natales, vel inducendo jura legitimorum, ut notavimus n. 1452. Restituere natales spurio non potest, nisi qui potest dispensare in radice matrimonij, nimirum in impedimento, propter quod vel tunc inter parentes matrimonium jure consistere non poterat, vel si contractum est, nulliter actum est. Inducere autem jus legitimorum potest Princeps, esto non possit dispensare in radice matrimonij.

Not. autem, legitimare in radice matrimonij, nihil aliud esse, quam dispensare